DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

EUTHANASIA MEDICA,

Vom Leichten Todt;

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS

horis locoque consuetis

ANNO MDCCXXXV. D. SEPTEMBR.

Publicæ ac placidæ Eruditorum ventilationi subjiciet

RESPONDENS

ZACHARIAS PHILIPPUS SCHULZ,

URATISLAVIENSIS SILESIUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

VIRO
ILLVSTRI, MAGNIFICO, GENEROSISSIMO,
MAXIMEQVE STRENVO

DOMINO
DANIEL DE RIEMBERG

HAEREDITARIO IN PILSNITZ,

SACR. CAESAREAE, REGIAEQVE MAIESTATI
A CONSILIIS ET REIPVBLICAE VRATISLAVIENSIS SYNDICO GRAVISSIMO ATQVE CELEBERRIMO
VIRO DE RE ET PVBLICA ET LITERARIA MVLTIS AB HINC ANNIS OPTIME MERITO,

MECENATI ATQVE PATRONO SVO OMNI
PIETATIS CVLTV AD CINERES
VSQVE PROSEQVENDO,

PAGELLAS HASCE INAVGVRALES,

PIA MENTE CONSECRAT

NOMINIS TANTI DEVOTISSIMVS CVLTOR

ZACCHARIAS PHILIPP. SCHVLZ.

PROOEMIUM.

IGnominiam ferme Medicis inurere videtur, quando de morte & mortuis philoſophari & ſermonem inſtituere contendunt, quorum officio magis conforme eſt, mortem omni ſtudio avertere & potius vitæ ac ſanitatis tutelam curæ cordique habere: nihilominus multum intereſt, ut bonus Medicus fundata Mortis Theoria inſtructus ſit, quo illius cauſas opportune declinare & viciſſim ſanitatem fulcire & defendere queat: Mortis autem circumſtantias & qualitates rite ſcrutari, attentionem poſtulat: quare A. GELLIUS *Lib. VI. Noct. Attic. c. 13.* exemplum *Tauri* Philoſophi profert, ad cujus cœnam convocati, qui ipſi amicitia conjuncti erant, cum aliquas argutas quæſtiones proferre conſueviſſent, interrogatum erat, quando moriens moriretur: an cum jam in mor-

te esset, & tum etiam, cum in vita foret: *utrum enim harum dicas, absurde atque ridicule dixeris: multoque absurdius videbitur, si aut utrumque esse dicas, aut neutrum: sed ea omnia cum captiones esse quidam futiles & inanes dicerent: nolite, inquiebat, Taurus hæc quasi nugarum aliquem ludum aspernari: gravissimi Philosophorum super hac re serio quæsiverunt: at alii moriendi verbum manente adhuc vita dici atque fieri putaverunt: alii nihil in eo tempore vitæ reliquerunt; totumque illud, quod mori dicitur, morti vindicaverunt: Sed Plato, inquit, noster, neque vitæ id tempus, neque morti dedit: &c.* perinde captiosa, scrupulosa & sophistica videri & haberi posset indagatio, difficilis & tardæ, nec non facilis & levis mortis, siquidem mox instantia formari & opponi posset, quod moribundis aut agonizantibus, non eadem sit sensatio & perceptio articuli mortis, quæ in observatoribus lugentibus & condolentibus occurrit: quoad hanc disquisitionem diversum de morte judicium a Philosophis fertur: quidam illam valde abhorrescunt; hinc ARISTOTELES *Lib. III. ethic. c. 6. mortem omnium rerum horribilem & acerbam nominat:* & MARCELLUS PALINGENIUS *in Virgil. v. 163.* de morte sentit: *ergo tam dirum tam formidabile monstrum, quem non terrebit, nisi cui sit ferrea fibra:* præterea vero bonam mortem esse æstimant CICERO *Lib. I. Tuscul. quæst. c. 31. tantum abest ab eo, ut malum mors sit, ut verear ne homini nihil sit non malum aliud certe, d. nihil bonum aliud potius,* & LIPSIUS *Cent. V. misc. ep. 25. Si communem sortem vitamque consideras, per naturam suave est vivere, per rationem non insuave mori:* tandem quidam promiscuo judicio

mor-

tem profequuntur: ita SENECA *in Confolat. ad Marciam c. 59.* ait: *mors nec bonum, nec malum quid eft:* & PHILO *Lib. de præm. & pæn. duæ funt mortis fpecies: altera mortuum effe, quæ quidem bona eft aut indifferens: altera ipfum emori, mala omnino & quo diuturnior, eo gravior.* Quamvis autem non quodlibet ethnicorum judicium de morte juftum, genuinum & religiofum fit, nec rationes illorum, quibus aut bonam, aut malam illam declarant, promifcue amplecti deceat, nihilominus in hiftoria vitæ & mortis noffe convenit, quod & cur quidam homines in fenfu phyfico medico bene vivant & ægre, male & difficulter moriantur: viciffim alii ægre & fub variis afflictionibus vitam degant & fubinde facile, leniter, tacite & tranquille e vita difcedant, eapropter in foro medico multum fcrutari refert, quænam juxta naturalem indaginem bona, firma, integra, vegeta & durabilis vita & fanitas, quænam viciffim lenta, quotidiana, dura, afpera & acerba mors fit: hinc homines juxta naturalem fuam dijudicationem bonam & placidam vitam optant & amant, arduam & difficilem vero mortem expavefcunt, propterea que placidam, lenem & dulcem velut mortem exoptant votisque fuis depofcunt: eo pertinent piæ precationes abbreviationis horæ & cruciatuum mortis, nec non anxiæ & enixæ petitiones, fi omnis vitæ fpes decollat, ut medicus ad placidam & tranquillam mortem acquirendam cooperetur; & quamvis fec. AMBROSIUM *de bono mortis c. 8. non habeamus, quod in morte metuamus, fi nihil quod timendum fit vita noftra commifit;* tamen etiam veritati refpondere

videtur, quod SENECA *ep.30.* elocutus eſt: *Si quid incommodi aut metus in morte eſſe diceretur ab aliis, morientis hoc vitium eſſe dicebat, non mortis: mors enim nihil incommodi hominibus affert, ſed ab omnibus incommodis ac fortunæ miſeræ procellis liberat:* Neque quidem in improbam illam facile, breviter & leviter moriendi viam ingredi conſultum eſſe judicamus, quam Stoici Philoſophi ſelegerant; ſiquidem in legitimo vivendi ſtadio mors in naturali ſphæra expectanda & ſubeunda, non deſperante, aut perperam heroico affectu nec accceleranda, nec illicita miſericordia promovenda, ſed ſummo rerum humanarum arbitro, in cujus manu vita & mors noſtra, ſubinde etiam hora ac modus obitus noſtri exiſtit, ſicut ingreſſus ita etiam egreſſus vitæ noſtræ relinquendus eſt; Eccur non autem dum ſemel moriendum eſt, omnes vero homines, a ſummis ad infimos rerum viciſſitudines ducentes & æſtimantes, ſub optima quaſi vivendi ratione innumeras calamitates, moleſtias, tot etiam tædia, diſſidia & faſtidia, ad minimum varias contrarietates experiuntur, breviſſimum vitæ ſuæ egreſſum, juxta divinam providentiam, aut acerbum, aut lenem mortales expectaverint, ſiquidem potior vitæ pars variis moleſtis & adverſis caſibus transacta fuit: Quin imo juxta curatiorem obſervationem manifeſtum evadet, ut quidam homines facile vitam ingreſſi, difficulter vero egreſſi fuerint, id quod etiam in oppoſita qualitate evidenti veritate ſe probabit: unde acceleratus, abbreviatus & promptus partus & obitus ſibi invicem ex aliqua neceſſitate, ex occulta Aſtrologica cauſa & Horo-

Horoſcopo reſpondere haud tenentur: & quamvis juxta SEBAST. MEDICES *tr. mors omnia ſolvit Part. 1. n. 15.* & *Roland.* a VALLE *Vol. 3. conſ. 37. n. 14. morientes mortuis potius, quam vivis accenſeri debeant*, ut & Medici, Vitæ ac ſanitatis curam gerentes, mortuos ſepelire ſinant, aut ſinere debeant, tamen parili jure illi tragœdiam mortis hujusque formam atque proceſſum, ac partus naturalis rationem inquirere debent, ſiquidem in utroque actu, ut RIPA *de Actis in mortis artic. c. 80.* monuit, ſingulares conſideratuque dignæ circumſtantiæ eveniunt: haud itaque hæſitamus, dubitamus, nec tergiverſamur morientium vivacitati accedere, aut aſſerere, quod morientes viventibus annumerandi ſint, qui adhuc ſingulis ferme vitalium motuum ſpeciebus, gradu licet diſcrepantibus, præditi ſunt, in quibus anima rationalis adhuc aliquale commercium cum ſuo corpore in variis individuis quoad rationis & ſenſationis uſum, tenet, in quibus etiam nonnulla indicia, vitam denotantia, obſervantur; *conf. P.* ZACCHIAS *Qu. med. legal. Lib. II. tit. I. qu. 3. David* MEVIUS *ad jus Lubecenſe Part. II. tit. 1. artic. 1. num. 27.* RIPA *l. c. c. 68. n. 2.* ut propterea etiam moribundis teſtamenta facere leges concedant: *vid.* MASCARDUS *de Probat. Concluſ. 136. num. 12.* CARPZOV. *Jurispr. Part. 3. Conſtit. 4. defin. 1. ſq.* quare quidam medicorum quæſtionem vetilarunt, an moribundi inſpirando vel exſpirando vitam finiant: *vid. Nathan.* HIGHMORUM *in diſquiſ. corp. hum. Lib. 2. P. 3. c. 3. p. 186.* GARMANNUS *de Mirac. Mort. diſſert. prælim. de Cadavere Sect. I. ſ. 169. p. 111.* huic judicio, quod morientes viventibus adſcribi mereanrean-

reantur, e *JCtis* ſuffragatur *Jacobus* CUJACIUS *Lib.3. obſ. 34.* quod rationibus & legibus illico confirmat: Quid itaque impedimento eſſe poteſt, quo minus Medici, ſicut initium, ita etiam finem & eventum vitæ naturalis curatius obſervent atque ſcrutentur, inſuper Hiſtoriam vitæ & Mortis pro genuino ſuo objecto tractent, memorabilibus obſervationibus augmentent & confirment, indeque univerſum artis medicæ conſpectum illuſtrent: Hujus animadverſionis memores, præſenti Inaugurali diſſertatione obſervationem phyſico-medicam DE EUTHANASIA MEDICA, aut *facile morientibus* brevi disquiſitione explicandam, ſelegimus: cui propoſito ut Summus rerum humanarum Director, in cujus poteſtate & regimine vita noſtra ac mors eſt, cæleſti ſuo auxilio, quo exoptatum ſortiatur effectum, ſubveniat, devotis precibus contendimus.

§. I.

PRiusquam brevem præſentis thematis, interpretationem & explicationem tradamus, indicabimus quæ *cauſa* ad *hanc meditationem* nobis occaſionem præbuerit: incidimus aliquando ſub reliquis noſtris privatis domeſticis opellis in notatu dignam aliquam animadverſionem, quam profert *Franciſcus Baco, Baro de* VERULAMIO *Libro de dignitate & augmento Scientiarum Lib. IV. cap. 2. p. 108. plane cenſeo*, ipſe ait: *ad officium medici pertinere, non tantum ut ſanitatem reſtituat, verum etiam ut dolores & cruciatus morborum mitiget: neque id ipſum ſolummodo, cum illa mitigatio doloris, velut ſympto-*

ſymptomatis periculoſi, ad convaleſcentiam faciat & conducat, imo vero cum abjecta prorſus omni ſanitatis ope, exceſſum tantum præbeat e vita magis lenem atque placidum: ſiquidem non parva eſt felicitatis pars (quam ſibi tantopere precari ſolebat Auguſtus Cæſar) illa EVTHANASIA: quæ etiam obſervata eſt in Exceſſa Antonini PII, *quando non tam mori videretur, quam dulci & alto ſopore excipi - - noſtris temporibus medicis quaſi Religio eſt, ægrotis, poſtquam deplorati ſint, aſſidere: ubi meo judicio, ſi officio ſuo, atque adeo humanitati ipſi deſſe nolint, & artem ediſcere & diligentiam præſtare deberent, qua animam agentes, facilius & mitius e vita demigrent: hanc autem partem, inquiſitionem de Evthanaſia exteriori (ad differentiam ejus Evthanaſiæ, quæ animæ præparationem reſpicit) reſpicimus, eamque inter deſiderata reponimus:* porro *in Hiſtoria Vitæ & Mortis articulo 15. p. 490.* dicit: *de articulo mortis & de atriolis mortis, quæ ad illum ducant, ab omni parte (ſi modo id fiat per indigentiam & non per violentiam) inquirito:* inſuper *p. 555. tit. atriola mortis ad artic. 15.* addit: *de atriolis mortis jam inquirendum, i. e. de iis, quæ accidunt morientibus in articulo mortis & paulo ante & poſt:* huc quadrat meditatio SCRIVERI in Siech-und Sieges-Bett andrer Theil. I. Betr. *p. 34. 35.* verba ejus ſunt: Ein hochberühmter und kluger Mann unſrer Zeiten (nominat Verulamium) hat unter ſeine bey der Medicin erlangte Dinge (deſiderata) die Evthanaſiam phyſicam geſetzet, dadurch er begehret, daß die Herren Medici möchten darauf bedacht ſeyn, ſolche Mittel zu erſinnen, dadurch wann nun mit einen Menſchen es aufs Letzte kommen, und er die Zeitlichkeit verlaſſen muß, ihm die Todtes-Schmertzen gelindert, die Hertzens-Angſt benommen

B und

und er ohn übriges Weh von hinnen scheiden möge:: Wir lassen es dahin gestellt seyn, ob dieser Fürschlag bey denen Herren Aertzten ein Nachsinnen erwecket hat: ich habe aber wenig Gottsfürchtiger Seelen Abscheiden gesehen, da man solcher natürlichen Mittel bedürft hätte &c. dum itaque homini moriendum est semel, quis non rectius *placidam*, tranquillam & cum *Simeone* pacatam optaverit mortem, quis non contra *gravem*, arduam, diram & duram metuerit mortem? ob id dignum esse judicamus, ut in *medico* etiam foro inquiratur, *quæ nam facilis* & placida, aut vicissim *difficilis* & ardua mors dicenda & agnoscenda veniat; & quomodo *illa promoveri*, hæc vero *declinari* & leniri possit: *naturale* hoc est votum, nec tamen Christianis prohibitum, qui ad imitationem precum Salvatoris, (mi pater si fieri potest fac, ut effugiam hoc poculum; quanquam non ut ego volo, sed ut tu) dolorem, abyssus, lora & vincula mortis, aut acerbam, amaram & quasi colocynthiacam mortem aversantur & deprecantur & ut placida morte obdormiscant, in votis habent; quare Eccles. *Syr. XLI*, *4*. homines alloquitur: *ne formida mortis fatum; memento & majores & minores tuos, quod cum sit a Domino omnibus animantibus fatale; cur, quod supremo placet, recuses* &c. juxta naturalem itaque sensum & amorem homines longævam bonam vitam & placidam mortem votis deposcunt; quomodo itaque naturalibus mediis horum desideriis atque precibus occurrendum sit, præsenti deductione brevibus *indirecta* tamen demonstratione indicabimus: & quemadmodum Christianus *voluntati divinæ* se submittit, juxta illud conclusum HErr wie du wilt, so schicks mit mir im Leben und in Sterben &c. attamen quoad *naturalem* æstimatio-

mationem ultimas vitæ horas *formidat*, de *glorioſo* autem eventu *gaudet*, ſub ſuſpirioſo voto wanns nur überſtanden und durch gearbeitet wäre: manet tamen in mente & votis repoſitum deſiderium bene, beate, tranquille & facile vitam cum morte commutandi.

§. II.

Nominamus itaque *Evthanaſiam Medicam*, *Proceſſum mortis naturalis*, *facilem*, *lenem*, *temperatum atque brevem;* SCAPULA nominat evthanaſiam *mortem bonam atque facilem:* BUDÆUS, TUSANUS & CONSTANTINUS dicunt, *evthanaſia eſt bona mors & facilis*, *hilaris*, *Sueton. in Auguſt. ac ſpe bona in morte perfuſa æquitas:* non nobis hoc themate ſermo eſt de morte *beata piorum* & *juſtorum*, vom Todt der Heiligen, Seeligen und Gerechten, quæ tractatio non noſtri fori eſt, quo ſenſu *Joh.* HERMANNUS Ευθανασιαν. *Ludovicus* RECHENBACHIUS Chriſtianum agonizantem, *Joh.* WENDELINUS, *Nicolaus* PALLADIUS beatam mortem explicarunt: quo pertinent variorum theologorum tractatus, ſub titulo *diſce mori*, *ars bene vivendi & moriendi*, *de athanaſia & evthanaſia Wilh.* ALARDI: *Dulce amarum Albrechts: de arte bene beateque moriendi Joach. a* BEUST *Evthanaſia Wibrandi* WEISCHER. *Evthanaſia Georgii* SCHEPELERI: addimus *Dan.* SENNERTI *meditationes de bene vivendi ac beate moriendi ratione: e JCtis* nonnulla ad hunc ſcopum quadrantia tractarunt, *Chriſtoph.* BESOLDUS *in Opp. Politico de Vita & Morte. Petr.* MÜLLER *de inſtanti mortis hora. Polyd.* RIPA *de Actis in mortis articulo.* STRUV *de morte:* ſicut de hac *Evthanaſia in Lexico Caſtelliano* dicitur: *uti Theologis notat placidam & beatam mortem fidelium; ita in medicina*

ſignificat mortem facilem, absque gravioribus Symptomatibus, v. g. convulſionibus, in qua ſignificatione Octavium Cæſarem Auguſtum accepiſſe author eſt Suetonius in vita octav. cap. 99. quemadmodum itaque in ſenſu *morali* dici poteſt, quod *boni, exitus bonos*, habeant; ita de *bonis* & *malis* interdum in *phyſica* interpretatione enunciari poteſt, quod *facilem* aut *difficilem* exitum ſortiti ſint: *Medico* itaque ſenſu nobis *evthanaſia* vocatur, præparatio & executio mortis *naturalis*, quæ *ſine* ſtrenuis, *anxiis, terribilibus*, nec *diu* durantibus afflictionibus *facile, leniter, breviter* & placide decurrit; de quo ſchemate edicere ſolent, es habe ſich mit dieſen Krancken bald und leicht zum Todt angeſchicket, man habe kaum mercken können, daß es zum Sterben gehen werde, er ſey unvermerckt ſtill und ſanft verſchieden, man habe keine Ungeberde ihm angeſehen, er ſey unvermuthet mit einen tiefen Othem oder Seufzer verſchieden, man habe ihn kaum ſterben ſehn und nicht gedacht, daß ſein Ende ſo nahe geweſen: man habe keine ſonderbahre Todtes Kennzeichen vorher geſehen, er ſey wie ein Licht ausgelöſchet ꝛc. ꝛc. Et talis evthanaſia partim *moribundum* concernit, partim *obſervatores*: *illum* quod attinet, tunc præter *extremam* quaſi *virium* proſtrationem *vix* ſingularem *dolorem* & *angorem* experiuntur, unde alii eloquuntur, der Todt habe ihn übereilet, ſie hätten ſelbſt ihr Ableben nicht ſo nahe vermuthet ꝛc. *reliquos* quod concernit, tunc hi tam *abbreviatam* & *tacitam*, imo inopinatam mortem in eximiam admirationem ducunt, hinc conqueruntur, wann ſie ſollen gewußt haben, daß dieſer Krancke ſo bald und unvermerckt ſterben würde, ſo hätten ſie noch eines und das andere mit ihn abreden wollen ꝛc. hæc obſervatio, quod ipſi morien-

tes *comparate* quietam, tranquillam & *placidem* analysin mortiferam experiantur, a *medicis* probe attendenda est; quæ licet sub *cœlesti* directorio constituta sit, nihilosecius tamen *facilis* ejusmodi mors in *moriente*, ejusque *anima* atque *corpore* evidentibus signis, in *sensus* incidentibus, perhibet, quod cum *utrisque* Medicus ex *parte* prudens & providum commercium inire possit & debeat; eapropter in hac evthanasia hoc respectu & *theologi* & *medici* meditationes suas conjungere possunt, siquidem quoad subjectum *animæ* & *corporis* talia colligunt phænomena, quæ dein ad *peculiarem suam* sphæram, suos *usus* suasque applicationes dirigere possunt: proinde evthanasia illa, *medico* sensu agnoscenda, complectitur *illum* mortis processum, quo aut uno *continuo* tractu apparatus mortis progreditur, da sichs mit einmahl zum Sterben anschicket, und die Kranckheit zum tödtlichen Ablauff kömmt, aut ubi valetudinarii, nunc decumbentes, modo denuo officia sua administrantes *successive* & quasi *quotidie* emoriuntur, tandemque *brevissimo* temporis ambitu vitæ *finem* assequuntur, adeoque *leniter*, modice & tacite moriuntur: unde in *utroque* statu evthanasia contingere potest: tandem *subita* mors, *facilis* quidem, brevis, lenis & placida *naturali* æstimatione, haberi potest, unde *ethnicæ* gentes, *avtochiriam* probantes, *hujuscemodi* moriendi modum, quippe *brevissimum* ac levissimum, secundum suam dijudicationem selegerunt & applicueruntus, quæ tamen moriendi ratio atque levitas *nostram* commendationem *minus* obtinet, quæ magis *corruptam* moralem, quam exacte *Medicam* animadversionem complectitur: quas considerationes quoad titulum nostræ meditationi præmittere placuit.

§. III.

Hæc meditatio *medica* de morte *facili*, leni & placida, in *transitu* nos ducit ad *medicam mortis generatim* instituendam disquisitionem, dein in *speciali* consideratione ad *peculiarem* mortis qualitatem, quæ *præsenti* themati præcipue respondet: reminiscimur hoc ordine effati *Horatii* GUARGANTI, Medici Itali, referente DIETERICO *in Jatr. Hippocr. p. 515.* quod *Medicus bonus esse non possit, nisi sciat, quomodo moriantur ægrotantes ex suis ægritudinibus*, unde mortis consideratio *omnibus* modis Medicis commendata esse debet, eapropter modo dictus DIETERICUS l. c. suum addit calculum, inquiens, *medicus scire debet quisnam modus salutis vel mortis* sit, siquidem SENECA *ep. 26.* testatur: *meditare mortem, qui hoc dicit, meditari libertatem jubet:* juxta *sensualem* conceptum mors vocatur ἀπαλλογὴ τῆς ψυχῦς τῦ σώματος ARISTOT. *de morte*, PLATO *in Phædone*, SOCRATES *in Gorgia*, PLUTARCHUS *in Consolat. ad Apollin.* qui dicunt: mors nihil aliud, quam rerum duarum, animæ scilicet & corporis a se invicem dissolutio, aut sec. AUGUSTINUM *in Psal. 48. tom. 8. mors vera, quam homines timent, separatio animæ a corpore est:* utut vero hæc mortis definitio *morali* sensu *vera* esse videtur, *medico* tamen respectui atque usui *minus* satisfacere creditur, quia juxta *traditionem* in *Medicina* de anima ferme nihil, aut parum, ad minimum præter obscuram & *metaphysicam unionem* illius cum corpore, vix aliquid laudabile asseritur, ideoque *plurimæ* vires, virtutes & qualitates *corpori* & *materialibus* attributis *magno* encomio adscribuntur, eapropter mors secundum gustum & sensum *physico mechanicum* dicitur absoluta motus sanguinis quies:

LAN-

LANCISIUS *de Subitaneis mortibus Lib. I. c. 3. §. 1. p. 6.* ita de morte ſentit: *mors eſt vera & omnimoda ceſſatio motus aëris, ſanguinis & fluidi nervorum, in organis & per organa majoris uſus, quæ naturales ſuas motiones vere ac omnino amiſerunt: ita tamen firma & conſtans ut per naturæ vires reſuſcitari non poſſit; ſive ut mechanice loquamur: mors eſt impotentia machinæ animalium ad motum fluidorum majoris uſus:* ita mors definitur ex cauſa quidem *mediata* aut *miniſtrante*, qua poſita ponitur vita, qua privata, privatur vita: *ejusdem* vero valoris, certitudinis & veritatis illa eſſet definitio, a cauſa *principaliori* efficiente petita, quando a PHILONE *alleg. legal. p. 45.* aſſeritur: mors nihil aliud eſt, quam finis & defectus, *quando anima deſinit vivificare corpus*, aut ſec. GARMANNUM *de mirac. mort. Lib. 2. tit. 7. §. 125. præſentia animæ animat, ſive vitam conciliat, abſentia mortem:* quam ſententiam illuſtrat aliquatenus effatum REJESII *Camp. Elyſ. juc. quæſt. 31. anima & vita pro uno eodemque habentur ſubjecto*, & P. ZACCHIÆ *Quæſt. med. legal. Conſil. 67. n. 4. Motus ſunt ab ipſa anima, eorum principium eſt ipſa anima, ita ut ubi tales motus apparent, præſentem animam ſit aſſerendum*, & viceverſa: addimus effatum AUGUSTINI *in Jobum tr. 47. Vita carnis tuæ, anima eſt: vita animæ Deus: quomodo moritur caro amiſſa anima, quæ vita eſt ejus: ſic moritur anima, amiſſo Deo, qui vita ejus eſt:* LUTHERUS Auslegung *Pſalmi V. 6.* Die Seele iſt das ſelbſtändige Leben in den Menſchen, dadurch der Leib lebendig gemacht wird. = = = Die Seele machet den Leib lebendig und thätig, & *in Pſalm. XVI. 10.* Die Seele wird in der Heil. Schrifft auch vor das Leben genommen, in ſo ferne ſie dem Leibe Leben und Wachsthum giebt:

æquali consensu DIETERICUS *l. c. n. 384. p. 515.* dicit: *dissolutio copulæ animæ a corpore mors est, vita contra animæ cum corpore conjunctio est*, displicet autem SCALIGERO *Lib. 3. Poet. c. 10. p. 226.* assertio, quod *mors sit vitæ privatio, quæ fit per separationem animæ a corpore:* quodsi itaque sec. *communem* consensum ad *formalem* vitæ rationem *unio animæ* cum *corpore* requiratur, ita subinde jure adhuc interrogatur, desideratur & expectatur *perspicua* explicatio & interpretatio, *quid sit* illa *unio animæ* cum *corpore:* quam hactenus nemo evidenter indicare & luculenter demonstrare potuit, ideo juxta hanc ignorantiam vita & mors definiri posset, quod *sint id, quod nescimus*, quia est unio animæ cum corpore, quam, quid sit, nescimus; sicut ARISTOTELES motum *Lib. 3. phys. c. 2. t. 15.* definivit, quod sit *quidam actus difficilis quidem cognitu, sed nihilominus, qui esse potest*, aut sec. ROHAULTUM *in tr. phys. Part. 1. c. 10. facilis est motum experientia excipere, quam ejus definitionem invenire:* Attamen nos quoad *formalem* suam rationem dicimus, quod *Mors* sit *extrema mixtionis corporis humani destructio, vel proxime instans & necessario consequens, vel jam actu incboans, a motuum vitalium confusione, oppressione & absoluta cessatione proveniens;* addimus hoc ordine notatu dignam *mortis physicam* explicationem B. SPENERI in der Glaubens-Lehr *Domin. XVI. Trinit. p. 1148. 49.* Wir wissen, die Seele wohne also in dem Leib, daß sie sich nicht nur desselben zu ihren Wercken gebrauchet, sondern ihm alles Leben mittheilet, und also den Leib erhält: Wann nun der Mensch stirbet, so muß schon vorhin eine Zerstöhrung einiger innerlichen Theile des Leibes vorgegangen seyn, daß er zu der Seelen Wohnung nicht mehr be-

qvem ist, darüber muß sie die Wohnung verlassen. Daß also der Tod nicht von der Seelen, die immer ihre Wohnung, wann sie nicht ausgetrieben würde, gerne behielte, sondern von dem Leib kommet, wann er sonderlich das Geblüt in ihm, darinn die Seele am eigentlichsten ihre Würckung hat, so verdorben wird, daß die Seele den Leib, als ihr numehro unbequehm, verlassen muß. So bald dieses geschiehet, so gehet die Verwesung im Menschen an, und solches erstlich in den innern subtilen Theilen, das Geblüt stocket, sonderlich die subtilen Geister vergehn, und also, ob wohl die eußerliche Gestalt, ohne die bleiche Farbe sich sonsten bey vielen etwa noch einige Tage erhält, so ist doch das innere stracks in völliger Verderbniß und einen starcken Anfang der Verwesung: Dahero ob gleich durch erschaffene Krafft die Seele wiederum zu den Leib gebracht würde, könne sie doch darinn nicht mehr wohnen oder leben: GARMANNUS *de mirac. mort. dissert. prælimin. de cadavere ∫. III. p. 70.* eloquitur: *corpus ubi semel sine anima est, fit cadaver.* Et hæc *generatim* de *morte*, quia *objectum* dissertationis nostræ principaliter illam concernit, annotare placuit.

§. IV.

Quoniam autem nobis non tam de morte, quam potius de *morientibus*, moribundis & agonizantibus sermo est, ita inter utrumque statum *vitæ* adhuc & mortis *gradus* quidam est, qui in aliquibus subjectis brevis, lenis & facilis, in aliis arduus, difficilis, gravis, terribilis, miserabilis & tardus existit: haud quidem in sensu adeo *stricto* & arcto cum *Lancisio Opp. de subitan. mort. Lib. I. cap. 2. p. 4.* omnem mortem *repentinam* esse judicamus, quando illud pnnctum temporis, quo vita & mors conveniunt, quod

 pro-

propterea ultimus vitæ & mortis articulus nominatur, pro *ſubitaneo* divortio accipitur, (*vid.* HORSTIUS *de conſerv. & cruent. cadav. p.18.*) quo *alludit* eſſatum Davidis *1 Sam. XX 3. certum eſt me a morte vix uno paſſu diſtare;* conſtat tamen proceſſum moriendi, i. e. *mutationes* languores & *defectus* motuum *vitalium* & functionum ſingularum ad *vitalem* œconomiam pertinentium, *gradu* differre, unde viciſſim in *naturali* ſphæra contingit, quod ſpirituali ſignificatu elocutus eſt apoſtolus *1 Cor. XV.31. quotidie morior:* quæ ſucceſſiva mors eſt; & ita in hiſtoria naturali caſus etiam *bis morientium* occurrunt, *conf.* D. PRÆSIDIS *tr. Medicinæ Theolog. p.376.386.ſq.* Quam ob rem *moribundi* nobis illi *medico* ſenſu dicuntur, qui non modo arte *humana* ſalvari *nequeunt*, ſed qui jam ad mortis metam & porticum nunc *laxis*, nunc *ſtrictis* velis contendunt; Diverſas tales morientium appellationes collegit B. STRYCKIUS in eleganti & medicis pariter commendanda diſſertatione *de Effatis Agonizantium cap. I. §.3.p.4.ſq.* Aſt dum præſenti tractatione de *morientibus* nobis ſermo eſt, ita juxta *communem* ſenſum mortem *naturalem* intelligimus, quæ *violentæ* opponitur, (*vid.* CAMMERARIUS *Syll. Memorab. Cent. XV. part. 49.*) omiſſa illa *ſupervacanea* dubitatione, an primo *ulla* mors *naturalis* appellari jure queat, ſiquidem *mors naturæ* abſolute *contrariatur;* dein an *violenta*, aut *ſimilis tragica* ratio & conditio mortis ſecundum conſuetum morem *minus naturalis* vocari mereatur, quoniam in hac æque ac in altera *non aliæ*, quam *naturales* rationes & qualitates obtingunt, ſiquidem mors *ſpiritualis* præc. *animam*, *naturalis* vero magis *corpus* concernit, hinc in foro *Theologorum* quæſtio illa movetur, an Moyſes, He-

noch

noch & Elias, ut & qui in futurum ad *ultimum* & extremum mundi *ſpectabilis* diem vitam protrahent, mortis *naturalis acerbitatem* ſenſerint & experientur; quam quæſtionem, quia noſtram ſphæram non attingit, licet nobis *haud ignota* ſit, minus decidendam amplectimur: Præterea etiam non hoc themate morientes, aut *juniores*, aut *provectiores*, aut *ſeniles* excludimus, quoniam in *qualibet* ætate facilis & difficilis mors obtingere poteſt & ſolet, eo quod mors naturalis *omnibus* ætatibus, temperamentis, viribus, ſexubus rationibus & familiarum conditionibus communis & inevitabilis eſt: Haud tamen ſecundum *genericam* noſtram animadverſionem excludimus conciliationem mortis *præmaturæ, immuturæ*, inſenſibilis, improviſæ &c. quales rationes & differentias allegat CARDANUS *in dialogo de morte* & LANCISIUS *l. c. c. 3. & 4.* Attamen nec *noſtri fori* eſſe æſtimamus in cauſas altioris & *divini* directorii, quoad facilem aut difficilem mortem ſcrutari & ſpeculari, ſiquidem interdum pii homines amarum mortis aculeum experiri debenr *vid.* DN. PRÆSIDIS *diſp.* cui thema eſt, *Memento mori §. IX.* quamvis nec in *talibus* caſibus, *penitus* cauſæ *naturales*, quæ ſub *cæleſti* moderamine perinde conſiſtunt, obliviosæ æſtimationi tradendæ ſint, ſiquidem in ordine *naturæ* ſummus rerum humanarum arbiter, naturalibus interdum cauſis uti ſolet; Præterea autem non conſtantes & ſemper *violenta* mors ſimul *brevis* & *placida* eſt, quemadmodum interdum ſub præliis inter occiſos per aliquot dies *letbaliter* vulnerati jacent, qui ardua & miſerabili morte expirant; aut ſicut *avtochiri* interdum per plures horas, aut unum alterumque diem adhuc *miſeram* protrahunt vitam, & juxta vulgatum dicterium nec reviviſce-

re, nec emori poſſunt: Simile quid relatum aliquando legitur, quod extremo ſupplicio rotæ conquaſſati & impoſiti delinquentes ærumnoſa, *miſerabili* & terribili morte, cum deſperatione vitam finiverint: unde *Stoici* cum *heroica* & generoſa *vel quaſi*, avtochiria ſua haud jactanter gloriari queunt: Quemadmodum etiam inter *repentinos morbos* & *ſubitaneam mortem* eminens differentia cedit, ut illi nec ſemper lethales ſint, ſicut LANCISIUS *Lib. de repentinis morbis* teſtatur, quorum diverſi curati fuere, nec ſi *funeſte* decurrant, mors propterea facilis & lenis eſſe debeat: quare conſultum eſſe judicavimus, haſce differentias, animadverſiones & inſtantias indicaſſe.

§. V.

Et quemadmodum *omnibus* moriendum, aut juxta DIONYSIUM HALICARNASSENUM *Lib. 6. mors omnibus ignavis æque ac fortibus fatalis eſt*, & ſec. LUCIANUM *in vita Demonact. t. 2. Strenui & ſegnes fato potiantur eodem*, ita difficilis & facilis mors diverſis accidere poteſt hominibus, & quidem quod rationem *Ætatis* attinet, non æque *infantes*, ob *naturales* cauſas, *corporis* mollioris, tenerioris & *infirmioris*, ut & imbecillitatis & *debilitatis* præ aliis lenem & *facilem* mortem experiuntur; ſiquidem exempla & caſus teſtantur, quod *tenella* hæc ætas aliquando *gravem* ſubeat mortem, ita ut etiam *embryo* nonnunquam ſimilem difficilem mortem experiri teneatur: interea tamen hæc ætas *non raro* etiam *placida* morte abſolvitur: *Senibus* vulgo, hoc quaſi privilegium, *tacite* & *placide* moriendi tribuitur: unde quidam aſſerunt, quod Senibus mors *ſecundum naturam* accidat: *vid.* GARMANNUS *de mirac. mort. diſſert. prælim. §. 126. p. 83.* qui ait: *is fatalis exitus, qui*

ſecun-

ſecundum naturam accidit, neque morbum habet cauſam, neque caſum violentum, ſed ſenectutem ipſam & defectum vitalis ſubſtantiæ: attamen exempla etiam nonnulla *contrarium* teſtantur, ut alii *duram* Senum vitam accuſare ſoleant, die Alten hätten ein hart und zähes Leben, *reliquæ* ætates, magis *robuſtæ*, vigoroſæ & alacres frequentius quidem arduam & *difficilem* mortem experiri deberent, quoniam juxta *commune* dicterium, in iisdem lucta vitæ cum morte magis *ſtrenua* eſſe dicitur: quare evthanaſia non *abſolute certæ* alicui ætati propria eſt; interea autem minus negare poſſumus, quod *infantes* omnino ob *exiguas* vires, ob facile harum *decrementum* & corpus laxum, *Senes* autem ob virium *defectum* & majorem corpus viribus & motibus inſtruendi ineptitudinem, majorem etiam proclivitatem *facile* & placide moriendi poſſideant: accidit inſuper in nonnullis Senibus, ut *lenta* obdormiſcant morte & per plures dies *absque morbo* lente & clandeſtine moriantur; commemorat talem caſum RIEDLINUS *Lin. Med. An. V. Auguſt. obſ. 7.* ſub titulo: *Senum lenta mors:* inter alia dicit: *Deus longævitatis cauſa utpl. per cauſas naturales agit, nec probibitum eſt in easdem inquirere*, recenſet proinde bigam caſuum, ubi vir 87. ann. virium *ſucceſſivum* defectum expertus fuit, ut in lecto ſe detinere opus habuerit, qui ſubinde parum cibi ſumſit, omniaque medicamenta *fruſtra* adhibita fuere, in quo tandem per tres hebdomadas pulſus vix notari potuit: alter Senex tandem de ventriculi debilitate conqueſtus fuit, omnia ingeſta vomitu rejecit, ingentem ſanguinis copiam per hæmorrhoides profudit, per 14 dies pulſus defecit, viribus exhauſtus, loquela intercepta, intercurrentibus animi deliquiis tan-

dem expiravit; hinc SEBIZIUS *in diss. de Marasmo* hunc affectum *successivam placidam Senum analysin* nominat: Præterea præsens tractatio *euthanasiæ medicæ singulis* Facultatibus usum aliquem promittit; nam quoad officia *Theologica præparatio* ad beatum obitum magis *ordinata*, constans, sedata, tranquilla & opportuna esse potest, sine præcipitato saltu & anxio tumultu, ubi assistentes & consanguinei *conscientiosum* Theologum non nimiis desideriis *præmaturarum* consolationum, posthabita reliqua docimasia vitæ ante actæ, quotidianæ pœnitentiæ, renovationis, sanctificationis, fidei &c. affligunt, sed ordinatum processum atque regularem modum conversandi cum moribundis modeste & patienter observant: unde talis theologus tranquilliori sedamine conscientiæ suæ & erecto magis animo spirituale officium suum ejusmodi morituro præstare potest: Dein *Judices civiles*, *advocati*, alii Sententionantes, magis in factis & judicatis acquiescere possunt, si cognoverint ægrum non anxia, ardua, difficili & misera expirasse morte, hinc placide mortuorum confessiones, testimonia, testamenta, juramenta (*quamvis mors ipsa per se juramenti loco valeat*, *Seb.* MEDICES *de Mort. Part. III. n. 28.* BESOLDUS *Consil. 138. n. 17.* & *Cons. 269. n. 71. 72. Joach.* MYNSING. *Cent. 1. obs. 13.* CARPZOV. *Part. II. Const. 16. Def. 9. n. 3.* aliique) &c. *majorem* fidem & valorem obtinent: *conf.* STRYCK. *de effatis Agonizantium cap. 3. 4. 5.* Quod *Medicos* attinet, tunc hanc cognitionem, lenis obitus, in quo artificioso negotio ad *erigendos* moribundos, quibus non modo verbis, sed etiam *verbis* adsistere debent, ad *prognoses* veras formandas, & ad varia officia in medendi methodo præstanda, applicare possunt & debent: Quid

referat

referat *Philosophos Evthanasiæ* notitiam acquirere, facile perinde demonstrari potest: HIERONYMUS *ad Ruffinum Pythagoræ* tribuit definitionem *Philosophiæ*, quod sit *meditatio mortis*, & *Socrates* hoc de *Platone* refert: unde MARCUS MARCI *in Philos. restit. P. 3. Subs. 5. p. 267.* dicit: *Platoni Philosophia est mortis meditatio, non quæ corpus anima privat, sed quæ animum a vita sensitiva & passionibus abducit & ad vitam pure intellectualem disponit:* & ita DAMASCENUS *Dialectic. c. 3. Philosophia meditatio mortis electivæ & naturalis: salutaris hæc definitio & monitio etiam illo sensu, ut ultima & posthuma meditemur, & vivamus morituri iterumque victuri*: quemadmodum CICERO *Lib. 1. Tuscul. quæst. Philosophiam meditationem mortis naturalis appellat.* Si itaque Philosophia *rationalis* Medicina *Mentis* & Philosophia *Moralis Medicina Voluntatis* est, quidni bene philosophari i. e. *evthanasiæ* rationem habere necesse fuerit, ut *intellectum, mores, inclinationes* & *passiones* in sphæra & curriculo *vitæ naturalis* ita dirigamus & coerceamus, ne arduam, turbulentam & confusam mortem causentur, dann wie gelebt, so gestorben, *conf.* D. PRÆSIDIS *disp. de Morum & Morborum consensu.*

§. VI.

Quod nunc hanc *medicam* Evthanasiam, quoad Signa & characteres concernit, tunc nonnulla indicia in *Animo*, aliqua in *Corpore* & eo spectante nunc *corruente* œconomia *vitali*, observari & significari debent: Quoad *animum*, quidam homines, qui antea *præcipitis*, *impetuosi*, *immoderati*, impatientis & *iracundi* affectus extiterant, nunc *appropinquante* morte, tranquilli, quieti, mites, lenes, morigerique evadunt, ut alii ex hac insigni *mutatione mortis* ter-

minum *imminentem* colligant: quemadmodum itaque animus hac ratione in meliorem & benigniorem ſtatum convertitur, ita inde lenior & mitior exitus vitæ expectatur: quid quod quamdiu ægri adhuc inquieti & impatientes ſunt, tam diu communiter magis mala metuenda, quam bona ſperanda ſunt: & ſi viciſſim æger *tranquillus* & ſedatus apparet, tunc aſſidentes colligunt, fore ut mors ſimiliter tranquillior brevi obtigerit: quo *contumacius* vero ægri cum *moroſitate* reluctantur, eo majores *difficultates* omnibus mutationibus ſe immiſcent; quare vigilantes & adſiſtentes valde talium *moroſorum* ægrorum mortem *abhorreſcunt*, malo ſub omine, es werde noch bey den Sterben, einen harten und ſchweren Standt und Kampf ſetzen; ideoque generatim *Mortis* Proceſſus, *Lucta*, *Pugna* (τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι, κ̣ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ & factus in agonia, ich habe einen guten Kampff gekämpfft: und als er in einen ringenden Kampff war.) Certamen &c. vocatur: vox ἀγωνία juxta *Scapulam in Lexico* denotat talem luctam, qua olim apud ethnicos in publicis ſpectaculis lacertoſi viri conjunctis viribus ſtrenue pugnabant: addimus verba *Wenceslai* BERGMANNI *in tremenda mortis bora Part. I. c. 4. p. 21. 22.* Eben ein ſolch Kämpffen und Ringen, (wie bey den Heydniſchen Schauſpielen) gehet auf gewiſſe Maaß zwiſchen unſrer Natur, und den Todt für: wie dann auch das griechiſche Wörtlein, welches St. Lucas von des HErrn Chriſti geiſtlichen Todes-Kampff brauchet, ingemein (wie den Gelehrten bekannt) von aller Menſchen leiblichen Todtes-Kampff und den letzten Todtes-Zügen geſaget wird: hinc ἀγὼν vulgo certamen dicitur, unde agonizantes dicuntur, juxta P. ZACCHIAM *Qv. Med. Legal.*

Lib. 2.

Lib. 2. tit. 1. qv. 19. n. 6. qui in extremis poſiti, aut conſtituti ſunt, aut qui in extremis laborant, die in letzten Zügen liegen. Luctamen mortis. CELLARIUS *Cur. poſt p. 246.* & VOIGT *in indice lat. p. 113. certamen quod moribundi certant:* Præterea in *animo* morientium obſervatur quies, tranquillitas eine Stille, eine Gelaſſenheit, eine Ruhe, & cum ſpe ac *jucunda* expectatione *brevioris* clauſulæ omnium calamitatum repleta mens: aliqui morientium in tranquillam *taciturnitatem* abeunt, alii blandum, lenem ac ſuavem compellationem & converſationem cum aſſidentibus & miniſtrantibus continuant, & dein poſt breve intervallum, vel leniter ſe erigentes, vel molliter ſedentes, vel aliter ſe, quantum licet, occupantes, placide emoriuntur; ejusmodi compoſitæ & tranquillæ mentes, morbo quidem *extreme* enervatæ, inter officia quædam blande expirant, juxta illud: imperatorem non decere, niſi ſtantem mori, aut quod Pontifex *Sixtus V.* a Cardinali nepote febre quadam detentus reſpondiſſe juxta teſtimonium *Gregor.* LÆDI *de vita Sixti V. edit. germ. Lib. XI. p. 408.* ihr ſolt wiſſen, Vetter, daß gleich wie die Nachtigall mitten in ſingen ſtirbet, alſo ein Fürſt mitten in Befehl ſeinen Geiſt aufgeben muß: quo ſpectant caſus ægrorum ſub *colloquiis* & *cantionibus*, imo ſub *placido riſu* mortuorum; egregium ſpecimen ejusmodi evthanaſiæ, inter *ambulandum, canendum* & *laudes divinas* evehendum extat in curriculo vitæ Anglici quondam Theologi *B. A. W. Böhmen* in præfat. a *B. Rambachio* illius ſcriptis præmiſſa *p. 38. 39.* ſub clauſula: ſo kam er in etlichen Minuten hinüber zu den Geiſtern der vollendeten Gerechten: Porro conſtant caſus *moribundorum*, in quibus adhuc improviſum *gaudium* ex-

 citatum

citatum fuit, v. g. desiderato, optato & sperato adventu & *reditu* parentum, conjugum, consobrinorum, amicorum &c. unde innotuere dicteria, sie haben nicht eher sterben können, nachher aber sind sie bald und sanft verschieden: quamvis quidem vicissim aliquando contrarium eveniat, de quo casu alibi agendum erit; quando præterea contigit, ut quidam ægri sub *maximo* morbi *vigore* valde *inquieti*, impetuosi, imo plane *delirantes* fuerint, appropinquante nunc articulo mortis denuo *rationis integræ* pro virium modulo usum recuperant, sedati & *tranquilli* evadunt placideque moriuntur; adeo ut, quamprimum rationis integritas & tranquillitas rediit, indicium inde colligatur, nunc instantis *brevioris* & *levioris* obitus, inde effatum innotuit, wann die Patienten ausgerasset, so werden sie entweder gesund oder sterben bald; ejusmodi exempla in attenta praxi medica satis manifesta observantur, qualia etiam BERGMANN *l. c. Part. II. c 5. p. 51.* varia allegat: *vid.* MULLER *de ægro Agonizante c. 5. §. 8. p. 34.* ubi signis mortis annumerat, *quando prægressum furorem, mentis captivitatem & motum, adhuc aliqualis intellectus usus sequitur* (quod nos dicimus: Er kommt vor seinen Ende noch wieder zu sich selber,) & summa quies: er fängt an stille zu liegen, er wird bald Abschied nehmen &c. Porro homines *patienter* & *tranquille* lenem excessum optantes & expectantes, eandem evthanasiam utpl. etiam experiuntur; quando animus ab aliis *spiritualibus* & *terrenis* ærumnis liber & immunis est, facilior tunc atque lenior expectanda erit vitæ migratio: hinc utpl. certum indicium, ægros morituros esse existit, quando ab omnibus *reliquis curis*

se

ſe *liberant* evacuantque, ut nil niſi *tranquilla mente* perbrevem anhelent analyſin.

§. VII.

Senſuales operationes quod attinet, tunc homines, qui ſub reliqua *extrema virium* imbecillitate *Senſus externos* modico aliquo uſu exercere & applicare poſſunt, non raro *lenem* experiuntur vitæ clauſulam, quam mortem *philoſophicam* nuncupare poſſemus, quando videl. *rationis* & *ſenſuum* externorum *comparata* integritas *proxime* ad ultimum vitæ punctum continuat: de quo ſtatu eloqui ſolent, der Sterbende habe Verſtand und Sinnen bis an den Todt behalten, in quibus *ſubito* dein mutatio vitæ cum morte contingit: in nonnullis bene & *facile* morientibus evenit, ut proxime ante obitum inſolitos *pellucidos* aut lucidos, proinde etiam *clara* viſione præditos impetrent oculos, aut *canoram* & *acutam* obtineant vocem, quam aliqui morientium cantilenam *cygneam* appellant; in aliquibus *inſolitus* oritur *odoratus*, vel graveolens, vel ſuaveolens; hinc generatim *Proſp.* ALPINUS *in Præſag. vitæ & mort. Lib. 2. c. 11. p. 169.* pro lethali declarat ſigno, ſi ægris omnia *odore adverſa* exiſtunt: interea in *quibusdam* hæc mutatio *facilem* vitæ finem præcedit: in aliquibus conſequentem placidam mortem, ſtupor & anæſthiſia, ein Erſterben der Glieder oder Fühlloſigkeit antecedit, dum in *intraneis* & *externa* regione corporis, nec *bonum* nec *malum* ſenſum, nec *dolorem*, nec *confortationem* experiuntur, ut & oblatorum *remediorum vires* & operationes haud amplius ſentiunt, ita ut *ſenſim*, attamen *inopinato* & tacite expirent, de quo dicunt, ſie mercken, daß ihnen nach und nach die Kräffte, oder der Geiſt entgehe, usque dum in hunc

 morbi-

mortiferum torporem deveniunt: ſterben alſo bey guten Verſtand: & hæc Senſationis *clandeſtina* abolitio, *mortem inſenſibilem* reddit; quippe quæ ſucceſſiva mutatio & virium atque Senſuum privatio *non* ita *moleſta*, ac reliqua, quæ ſub *tumultuariis* circumſtantiis contingit, quæve ſubinde tanto magis animum & corpus affligit: eapropter ægri *ante* mortem aliquot diebus atque noctibus *vigilantes* tanto magis *enervantur*, ut ad mortem *facilius* perveniant, *leniorem que* vitæ exitum ſubeant: nonnulli morientes adeo *animo* erecti ſunt, *corpore* vero ita *debiles*, ut quando tales corpore firmos ſe eſſe, ſibi perſuadent, quales mente ſe eſſe agnoſcunt, ſurgere, ambulare & officia quædam adminiſtrare audent, ſub hac vero *inſenſibilitate* motifera in animi deliquium incidant, & brevi expirent: Neque infrequens eſt obſervatio, quando *nonnulli* morientes blandam ac *ſuavem dormiendi* proclivitatem ſentiunt, ſi antea cum multa virium jactura *inſomnes* dies noctesque tranſegerunt: impr. memorabilis eſt obſervatio, quando *prægreſſis* temporis terminis *valetudinarii* ſuæ afflictionis conſuetam *moleſtiam* toleravarant, nunc inopinato modo in *placidum ſomnum* inclinant, per aliquot horas in eodem perennant, nec facile inde excitari poſſunt, & tandem illo finito *ſubito* mortis articulum ſentiunt brevique animam efflant: multa hujus obſervationis teſtimonia proferre & effata morientium, quoad hanc circumſtantiam in medium proferre poſſemus, ni plures annotationes in hac meditatione conferendæ eſſent: Quemadmodum itaque juxta ROLFINCIUM *medic. conſ. Lib. 2. conſ. 5. p. 89. Somnus mortis frater eſt* & SENECAM *de tranquillit. anim. cap. 15. nam & Somnus refectioni neceſſarius eſt: hunc tamen ſi per*

diem

diem noctemque continues, mors erit: nec non ad *Ovidii* carmen *Naso Amor. II. 9. 41. Somnus gelidæ nisi mortis imago est: conf.* FRANCKENAU *Satyr. Medic. 8. §. 43. sq.* ita sub & mediante somno varii moribundi *placidam* acquirunt mortem: Quidam ægrotantes sub extremitate morbi *diuturnas vigilias* perpessi, tandem præter expectationem aliqualem *somnolentiam* sentiunt, in quam quidem cum desiderio propendent, ast perfecte in placidum somnum ingredi haud possunt, adeoque inter *somnum* & *vigilias* luctamen experiuntur, qualis status cum comate vigili comparari potest. Quod de *Somno* modo dictum fuit, variis exemplis probari potest: pertinet huc effatum REJESII *Camp. Elys. juc. qu. 50. n. 2. Somnus, cibus, ut ipsa vitæ subsidia, vitam rapere videntur:* inde communis elocutio, *morte obdormire*, man sey sanfft entschlafen: unde nonnulli ægri integra ratione & externis sensibus adh. præsentibus somno præter opinionem obruuntur, insuperque rogant, man solle sie nun ein wenig ruhen lassen: sub quo somno etiam aliquando citra culpam oblati cujusdam incongrui remedii, placide expirant, nec ad naturalem vitam evigilant; hinc illæ lacrymæ, man habe einen solchen Patienten nicht sterben sehen, als man ihn von Schlaf ermuntern wollen, sey er kalt, todt, ohne Leben gewesen, *Casp.* BRAVO *Resolut. Medic. Part. 3. disp. 4. resol. 12. p. 716. §. 2.* asserit: *ea experientia nota est, quæ soporoso somno affectos sæpe occumbi demonstrat.* & *Petr. Mich. de* HEREDIA *Tom. III. opp. circa finem c. 24.* testatur: *non raro ægri dulci sopore amaram vincunt mortem: conf* CARDANUS *Dialogo de morte:* SPENERUS *in Concion. funebr. Part. II.*

 p. 380.

p.380. Part.VII. p.134. Part. X.p.97. GERBERUS *in Historia Regenitorum Part. I. hist.19.p.519.*

§. VIII.

Corporis rationem ineuntes, aut considerationem motuum & functionum ad illius œconomiam pertinentium, connectentes, in quibus signa *naturalia*, ideoque ad *medicum* forum spectantia occurrunt, quæ *evthanasiam* prædicere & expectare permittunt, tunc illorum varia etiam occurrunt, & quidem aut *simultanea* & præceps, aut *lenta* & successiva *virium prostratio*, unde ipsi ægri observant, quod sensim moriantur; hinc GALENUS *Lib. II. de Temperam. Cæl.* RHODIGINUS *Lib.21. antiqv. Lect. c.4.* MINDERERIUS *threnodiæ medicæ s. planctus medicinæ lugentis c. 22. mortem successivam naturalis caloris extinctionem* suffragantibus multis aliis medicis nominant; quare quidam morientes sentiunt velut ex omnibus corporis sui *extremitatibus* atque *poris* vires expirare & emigrare, daß ihnen die Kräffte und der Geist entgehen, hinc denique *placida lipothymia*, quam nonnulli pro *catarrho suffocativo*, aut *apoplexia* habent, e vita discedunt: quid quod extremam *impotentiam*, *voluntario* motu se sublevandi, experiuntur, hinc in uno quasi situ decumbunt, de quo dicunt, sie fangen an stille zu liegen und zu werden; ob eandem virium extremam jacturam evenit, ut si vel aliquatenus corpore moveantur, tanto magis *erigantur* in *animi deliquium* incidant, aut inter adsistentium tractationem expirent; hinc observare licet, quando adstantes ejusmodi extreme debiles haustulo quodam reficere contendunt, eosque paululum movent eriguntque, *inter sorbitionem* illi *tacite* emoriantur: spectat eo, quod ita

ener-

enervati ægri nunc *ponderosiores* evadant, ideoque pro moribundis habeantur & expectentur: huc pertinet HIPPOCR. effatum *Lib. Prænot. ʃ. 8. text. 13. edit. Lind. converti autem convenit facile ægrotum & in attollendo se levem esse: si vero gravis esse apparet & reliquo corpore & manibus & pedibus magis periculosum est: conf.* GARMANNUS *mirac. mort. Lib. II. tit. 3 ʃ. 21. p. 395.* qui *ʃ. 25. p. 369. animæ* incorporeæ adscribit efficaciam quod vivo corpori *levitatem* conciliare possit, idque testimonio KENELMI-DIGBY *tr. de immortal. anim. c. 5. 6. 7. 8.* confirmat, insuperque judicat, eandem *animam absque motu extrinsecus impresso quendam moventem fontem vitæ in se continere:* e qua consideratione aliquatenus ad oppositum *levitatis*, videl. ad *gravitatem* corporis in *morientibus* concludere integrum erit: utut vero *indifferenter*, sive facile, sive difficulter morientes corpore graviores evadunt, attamen *major* gravitatis gradus *majorem virium* defectum, & hic consequenter *faciliorem* obitum denotat; præterea *pulsus* in talibus moribundis utpl. *extreme debilis* est, ut aliquando, plane cessasse appareat, unde medici multa de *Asphyxia* significare solent, e quibus multis observationibus tantum allegare lubet casus, sed illos etiam rariores, *deficientis* pulsus, qui non æque facilem mortem indicarunt. v. g. *de pulsu per 36. horas ante obitum cessante A. N. C. Dec. 2. an. 7. obs. 180. de pulsu 8. dies ante obitum in hydropico & nephritico deficiente* Breßl. Gesch. 19. Vers. *p. 96. de moribunda, quæ intra triduum nullum pulsus superstitis vestigium* exhibuit: *vid.* PECHLINUS *Lib. 3. obs. 3. p. 398.* utpl. tamen pulsus deficiens non modo *appropinquantem*, sed & *facilem* prædicit mortem, ut subinde ve-

rum

rum sit assertum RIEDLINI *Lin. Med. An. 3. Jun. observ. 9. p. 372. tit. Pulsus morte jam instante haud ita malus*, quod *bono pulsui haud semper fidendum sit: conf. Prosper.* ALPINUS *de præsag. vit. & mort. ægrot. Lib. 4. c. 5. p. 362.* tit. *cur pulsus in quibusdam febb. exitiosis appareant aliquando recte valentium similes;* haud vero de *cessatione* tantum pulsus in *carpis* loquimur, qui testante observatione & ex hac LANCISIO annotante *de subit. mort. Lib. I. cap. 16. p. 50. seq.* non æque motus cordis abolitionem comprehendit; multo minus intermittentis pulsus hoc loco considerationem habemus, sed *adeo tacitam*, lenem & *extreme* debilem cordis systolem intelligimus, ut *nullo signo* & experimento facile explorari possit, siquidem in ejusmodi ægrotantibus *absoluta* pulsus cessatio, *haud facile*, multo minus *sæpe* reditum sui expectat, quin potius secundum *communem* observationem sub hisce circumstantiis *plenariam mortem* indicare jubeat.

§. IX.

Hisce Signis, *corporis* œconomiam attinentibus, addimus porro *Respirationem* valde *debilem*, tardam, raram, interruptam atque lenem, non æque anxiam, (quæ *arduas* utpl. moriendi qualitates involvit) sed præter reliquas etiam *frigidam;* qualis respirationis conditio perinde *summam* virium prostrationem complectitur, sub qua *gravis* & difficilis mors *non* facile formidanda; quando itaque alicujus *chronici*, vel *acuti* morbi status eo usque devenit, ut hæc mutatio observetur, non modo certius funestus eventus significari, sed & pro ratione subjectorum facilior mors prædici potest: Præter hæc signa annotanda est subita *mutatio adspectus* & naturalis *similitudinis*, wann die

Kran=

Krancken ihre Aehnligkeit geschwind verliehren, præc. si non intra *brevissimum* temporis terminum mutatio in *meliorem* statum superveniat, quæ conversio non modo extreme periculosa, sed plurimum lethifera est, & si subito illa ingruit, eximia existit, & ita etiam persistit, brevissimnm ideoque *facilem* obitum, indicit; eaque propter *Facies Hippocratica* in Prognosi medica adeo ominosa est: quando itaque talia signa *repente* apparent, communiter *perbrevem* mortem prænunciant: Quodsi porro ægri antea per *plures* dies *intimam* & constantem *abstinentiam* a *cibis* senserint, insuperque *vigiliæ crebriores* & *virium* eminentes jacturæ conjunctæ fuerint, communiter facilem obitum ægri experiuntur, inde enim domicilium vitæ naturalis *undique* corruit; Si subito ægrotorum *cutis rugosa* & conspectus *vetustus* apparet, wann die Krancken altern oder ein altes Ansehen bekommen: quo plus, quo citius etiam hoc evenit, atque *persistit*, eo certius, eoque citius emigrant: id quod etiam contingit, si *subito* ægri propriam similitudinem amittunt, & majoribus assimilantur: *vid.* BARTHOLINUS *Cent. 4. hist. 31. Petr. a* CASTRO *de febb. malign. petech. Sect. 4. §. 33.* BORELLUS *Cent. 2. obs. 84.* FASCHIUS *Ord. & method. cognosc. causas c. 28. p. 57. Rod. a* CASTRO *Med. Politico Lib. 2. cap. 9. p. 87.* Quando *calorem* naturalem *subito* & eminenter perdunt, vt *exteriores* regiones *mortifero rigore* & *frigore*, ast præsente & *integra ratione*, afficiantur, non modo certa, sed & *facilis* mors expectanda erit: Quodsi porro *evacuationes* quædam, præc. *sanguinis* vehementer & *constanter* continuaverint, tunc ægri subitaneam & simul sub *extremo virium* dispendio *facilem* subeunt mortem: id quid

etiam de *variis aliis prodigis* excretionibus valet, quæ *præcipitem virium* proſtrationem & interdum inproviſam mortem pediſſequam involvunt: hinc ſudores *colliquativi* & diarrhœa talis facilem & placidam vitæ *clauſulam* promittunt, quando *omnibus* ferme *viribus* deſtituti expirant; eo pertinent *involuntariæ* ægrotantium & morientium excretiones, quæ *extremum* languorem & virium plenariam jacturam comprehendunt, ut propterea proceſſus & articulus mortis *non* adeo *diu* durare, nec admodum *ſtrenue* decurrere poſſit; hiſce ſignis adhuc addimus *privationem ſenſationis* rerum & mutationum, quæ in & cum corpore contingunt: velut *inſenſibilitatem* circa *involuntarias* illachrymationes, alvi & urinæ excretiones: *vid.* MÜLLERI *æger agonizans l. c. ſ. 7. p. 34. quando ob ſphinčteres relaxatos agonizantes inſcii, in ſtragulum fæces, ut pl. nigro colore tinčtas (cave autem me martialia aſſumta tibi, hic imponant) vel urinam demittunt, quod ut pl. muliercularum inſtantis horæ mortis infallibile ſignum eſt, dum dicunt:* er läßt ſchon das Waſſer unter ſich gehen; nun iſt keine Hoffnung: & licet id generale tantum ſignum *lethale* exiſtat, *eo* tamen reſpectu *facilem* mortem prænunciat, quando non modo *inſenſibilitas* illa in ægro obſervatur, ſed & *extrema virium* proſtratio ſimul conjuncta eſt: cum hac obſervatione *connexa* etiam hæc eſt nota *facile* morientium, quod reliquam *morbi* ſui *moleſtiam* non amplius ſentiant: hinc CAMERARIUS *in Syllog memor. Cent. 16. part. 80.* hanc quæſtionem profert, *cur moribundi non doleant:* & ſi *Caſp.* BRAVO *Reſolut. med. Part. I. diſp. 4. Sect. 2. reſol. 1. ſ. 1. p. 128.* profitetur *nullam mortem ſine dolore eſſe*, limitationem tamen *ſ. 3. p. 130.* adjicit: *cum*

quali-

quælibet mors ſit contra naturalem inclinationem, nulla eſt mors ſine moleſtia & naturali repugnantia, eſt tamen ſine dolore proprie dicto prout pertinet ad tactum & fit ex ſubjecto ſubito & affatim corrumpente naturam tactusque inducentem vehementiſſimam alterationem &c. talis *anæſtheſia* mortem *inſtantem* deſignat, quando ægri nec calidam, nec frigidam qualitatem, nec ſuaveolentia nec graveolentia amplius ſentiunt, *rationis* tamen uſu adhuc fruuntur; viciſſim vero contraria ſenſatio brevem & ſubitam mortem prænunciat, v.g. ſi adhuc corpore *calidi* ſunt, & de *frigore* conqueruntur, aut ſi *horridum frigus* ſentiunt & tamen *anxie ſudant*, tanto magis ſi *intrinſecus*, *gelidum horrorem*, experiuntur, utpl. obitus inſtat, & brevi abſolvitur; huc referimus *inopinatum* morientium, aut extreme decumbentium *appetitum*, quando *antea* ſummam ciborum averſationem toleraverant, tunc ſubito fervidum & impatientem appetitum experiuntur, quodſi etiam ipſis cibi apti offerantur, tunc *avide* eos aliquando *ingerunt* & interdum aut inter edendum, aut poſt aſſumptos cibos mox e vivis diſcedunt: *conf. Proſp.* ALPINUS *de præſag. vit. & mort. ægrot. Lib. 4. c. 14. p. 399. ſq.* ſiquidem communiter ejusmodi ſaltus ad *extrema* in valde ægrotantibus non modo *lethalem*, ſed & *brevem* mortis ſtatum indicat, modo aliæ hactenus recenſitæ circumſtantiæ judicioſæ concilientur: tandem addimus hoc ſignum, quod aliquando *placidæ* & facilis mortis præcurſor *animi deliquia* ſint, quæ *antea* in eodem morbo *non* obtigerant, quæ autem aliquando revertuntur, nec tamen *rationem* ſubito *confundunt*, usque dum in brevi temporis diſtantia, ægri ultimum vitæ terminum aſſequantur: Et hæc ſelecta quædam ſigna

Evthanasiam juxta naturalem, aut *Medicum* sensum præsagiunt, quæ nostro themati & instituto satisfaciunt, dum adhuc *alia mortis* signa prostant, quæ sphæram nostram haud feriunt & concernunt, unde in illis præsenti tractatione acquiescemus.

§. X.

In ordine nunc significandum erit, quænam *subjecta* juxta cognitionem *physico-medicam* ad *Evthanasiam* acquirendam proclivia sint: secundum seriem *ætatum* hanc meditationem tractantes, *facilem* mortem experiuntur *infantes*, quæ sub *formationis* & *gestationis* suæ termino varia incommoda perpessi sunt, videl. gravia, ardua & sontica *animi pathemata* matrum suarum, nec non *alias afflictiones* & difficultates, unde processus *formationis* valde impeditus & *perturbatus* fuit; hinc ejusmodi infantes mox e *primis* suis rudimentis, perquam *infirmi* redduntur, ut post partum *tarde* & *difficulter* & robore & mole corporis accrescant, haud diu vitam protrahant, ideoque post breve vitæ curriculum *tacite* & *facile* expirent: idem illis accidit infantibus, qui subinde *sub generationis* negotio facile *abortum* passi sunt, & difficulter conservari potuerunt, quorum plurimi non modo *citius* moriuntur, sed similem citatam & facilem mortem experiuntur: id quod illis infantibus æque contingit, qui sub formationis opere morbo correpti fuere, nec non qui valde *periculoso*, ancipiti & *difficili* partu in lucem editi ideoque mortifera *enervatione* oppressi & affecti sunt; ad hunc censum pertinent infantes, quibus a parentibus per *hæreditatem* distincta *imbecillitas*, teneritudo & sensibilitas communicata est, qui e processu generationis jam *adversa* valetudi-

ne

ne & *vitiosa interna* corporis conformatione laborant, qui a prægresso *arduo* partu aliisque morbificis causis ex utero *Hydrocephalum internum* gerunt; porro numerum talium infantum illi augent, qui *præmaturo* partu uterum egrediuntur, adeoque *magna* cum alteratione & *prostratione* virium naturalium in spectabili mundo vitam degere, variisque vicissitudinibus rerum naturalium frui inchoant, unde eximie *debiles* permanent, nec facile longiori vita fruuntur, sed celeri & facili morte e choro & foro viventium abripiuntur: huc etiam spectant *gemelli*, quorum plurimi brevi e vivis migrant, interea sub peculiari *infirmitate* ad mortem præparantur, & *facili* obitu auferuntur: Quod si dein *infantes* & *puerilis* ætates homines in *Chronicum* incidant morbum, tunc quidem sub eodem aliquandiu *miserum* statum tolerant, ut non raro *superstitiosi* homines *naturalium* causarum conciliationem deserant & *incantamenta* accusare haud erubescant; quando vero tenellula hæc ætas corpore *emaciata* & *viribus* valde depauperata est, tunc accedente articulo aut hora mortis brevi termino & facili modo spiritum efflant: Et quamvis *Adolescentiæ* & *Juventutis* periodus plenioribus viribus instructa sit, ut propterea sub luctamine mortis diutius perdurare queat, imo non raro soleat; nihilo secius tales etiam annotantur casus, ubi ejusmodi subjecta atque ætates placida & facilis mors solvit, præcipue si *diuturno* mobo exhausta fuerant, ob id evenit, ut, dum vegetæ tales ætates alioquin sub *breviori* morbo succumbentes, strenuis *convulsivis*, motibus & arduis moriendi præparationibus expirant, vicissim sub *chronico* hectico, phthisico, &c. morbo, post *prodigas hæmorrhagias* perpessas, nec

non quando alias ſymptomaticas *copioſas* evacuationes ſubierunt, aut *multis* & motus valde adigentibus & dilapidantibus, vel plane heroicis remediis enervatæ, tandem vel *nullas* ejusmodi convulſiones, vel *valde breves* & *leves* inſuperque *facilem* mortem experiantur; ſimiliter in hiſce aliisque ætatibus prægreſſæ *multæ vigiliæ* cum crebrioribus *dejectionibus* alvinis, *incurabiles* ægros extreme *enervant*, inſuperque ad facilem mortem diſponunt: Tandem etiam de *Senili* ætate vulgo obſervatur, quod ſenſim terminetur, indiesque *placide* ad mortem diſponatur, quare vulgo aſſeritur, quod juxta ARISTOTELEM *mors homini minus moleſta ſit ex Senio*, referente KORNMANNO *de Mirac. mort. Part. 6. c. 43.* qui addit: *hoc ſolo deterior quod ante multa Senex perferat incommoda:* rationi autem & obſervationi conſentaneum eſt, quod Senes *ſucceſſive* vivere *deſinant*, vires animi atque corporis amittant, & tandem omni robore *naturali* exhauſti *clanculum* quaſi obdormiant, ideo CAMERARIUS *Syllog. memor. Cent. XV. part. 60.* ait: *quid aliud eſt Senem videre trementem, incurvum, canum, imbecillum, infirmum, quam cernere morientem vivum, aut viventem mortuum, conf.* etiam *part. 61.* hinc ARISTOTELES *de gener. anim. cap. 4.* & GALENUS *lib. de marcore c. 1.* Senectutem *vitæ declinationem* appellant; unde de invalidis, tremulis & effœtis Senibus valet illud SENECÆ *Ep. 24. hunc quem vivimus diem, cum morte dividimus.*

§. XI.

Præter hæc illi etiam homines *leniorem* & *faciliorem* mortem experiuntur, qui *antea* multas *curas*, ærumnas, afflictiones, moerores & *angores* perpeſſi ſunt, indeque & *animo*

mo & *corpore* valde enervati, nec *arduos* morbos ſuperare, nec diu ſub iisdem durare poſſunt, ſed ad funeſtum eventum properant, eundemque *facile* pervadunt & aſſequuntur; etenim ejusmodi homines *viribus* exhauſti *facile* in morbos incidunt, in illis *turbulentos* pro- & ſucceſſus morborum exhibent, ordinata remedia, ſi non interdum *contrarios* effectus edunt, *ſperatas* & deſideratas tamen operationes *minus* proferunt, adeoque ſub continuo morborum *augmento* & virium *decremento* acceleratum & nonnunquam *facilem* obitum experiuntur: magna enim vis prædictis animi affectibus *ſupprimendi* mentis & corporis *vigorem* connexa eſt, unde in morbis *ita* afflictorum & affectorum hominum omnes ferme circumſtantiæ aut *defectum*, aut *ataxiam* præjudicioſam complectuntur, quæ qualitates ex parte etiam ad *levem* & brevem vitæ terminum diſponunt; Subinde homines, præc. de *ſanguineo* & *phlegmatico* una combinatione participantes temperamento, qui *præ reliquis* temperamentis ad languores, *defectus*, virium amiſſiones & *morales* æque atque *phyſicas* actionum *inter* & *amiſſiones* proclives ſunt, (ſiquidem in *prioribus* una magnus animi angor, metus, ſollicitudo & puſillanimitas, in *poſterioribus* autem torpor & ſpontanea virium ceſſatio concurrit,) brevem & facilem mortem experiri ſolent: Ratio inſuper habenda eſt, hominum, quibus ex *Hæreditate communis imbecillitas* naturalis, proclivitas ad *ægrotandum* & *brevitas* vitæ connata eſt, de quibus illud *Hippocratis* effatum *in Ep. ad Damagetum totum hominem a nativitate morbum*, ideoque mortis objectum & ſubjectum eſſe, & *Plauti* in *Bacchi* apprime valet: *vixiſſe minimum ſatius eſt, quam ocyſſime*

mori:

mori: ideo in observatione medica evenit, ut quædam familiæ non modo *haud longævitatem* attingant, daß Sie bald dahin und aussterben, sed etiam *brevi* succumbant, ehe man sichs versieht, so sind sie todt, es ist in ihrer Art, daß sie nicht lang liegen, sondern geschwind dahin sterben: unde sub congrua & limitata interpretatione nonnunquam *Evthanasia* medica *hæreditaria* est, inde præsagia innotuere, wann sich diese Persohnen legen, darff man gewiß dencken, daß Sie nicht wieder aufkommen, sondern geschwind dahin sterben werden: ob id non tantum *mors ad omnes homines pervasit Rom. V. 12.* sed *quieta* ac *lenis* mors per dispositionem *hæreditariam* variis modis *interdum* in posteros communicatur: inde dicitur die Kinder, die Familie, sind so bald still und heimlich nacheinander aus der Welt gegangen: Hisce Subjectis ulterius annumeramus *illa*, quæ naturalem & *medicam* qualitatem *facilius* moriendi habent, quando *antea crebrioribus* morbis exhausta & *enervata* fuerant: unde quidem per vices *aliqualem* sanitatis gradum & statum iterum assecuta attamen pedetentim *naturalis* roboris *destructionem* & enervationem perpessa sunt; sie sind durch viele Kranckheiten mitgenommen und entkräfftet worden; ob id non modo *maturius* moriuntur, sed & necessaria virium *præstantia* destituta, in consequentibus *gravioribus* ægrotationibus *citius* atque *facilius* e vita discedunt: quodsi etiam *valde maligni* morbi subito & vehementer quosdam homines invaserint, tunc non modo *repentinnam* mortem causari possunt, sed & si per paucos dies duraverint sub *extrema* virium prostratione *succinctum* & concisum processum mortis, aut *levissimum* excessum experiuntur, inde formulæ, der Todt hats bald

mit

mit ihnen ausgemacht, die Kranckheit habe Sie gleich mit aller Hefftigkeit und Geschwindigkeit befallen, qualem morbi gravitatem diu ægri perferre haud possunt, quemadmodum plurimi sub ejusmodi morbis *vitæ* adhuc *præsentes*, mortem tamen in certo loco corporis sui, videl. actualem corruptionem putridam gerunt: Quando porro quidam ægri *chronico* laborarunt morbo, qui in *immedicabilem* abiit statum, ideoque constanter *acerbitate* sua increbuit, ut sub consueto suo decursu ægrotis multam afflictionem intulerit, insuperque eximiam *virium jacturam* accersiverit, tunc communem & ægri & ministrantes homines concipiunt spem, fore ut eventus morbi, i. e. *vitæ exitus levior* & brevior sit futurus, cum ipse *morbus gravior* & diuturnior extiterit: quare tales patientes nonnunquam mors *confestim* corripit, ut *inopinata* videatur & prædicetur: eapropter adsistentes monentur, ut de talibus ægris *sollicitam* gerant curam, ne improvisa extinguantur morte, daß sie nicht unvermerckt unter den Händen dahin sterben, id quod de *junioribus* æque ac *provectioribus* valet: Tandem etiam *illius* circumstantiæ mentio injicienda est, quando quibusdam ægris sub *acerbiori* morbi & symptomatum statu *liberalius lenientia*, demulcentia, *sedantia*, aut plane *narcotica*, ut & emulsiva oblata fuerant, quæ ægris aliquam quietem & *soporem* conciliant, ut præter expectationem obdormiscant & non amplius expergiscant, sed *tacita* morte extincti deprehendantur, aut alio modo ad *leniorem* obitum præparentur: Annectimus huic considerationi observationes *anatomicas*, quas titulo tantum notamus & indicamus, quod videlicet in ejusmodi *placide* & *facile* defunctis sub scrutinio *anatomico*, vel lati-

tantia *apostemata*, aut occultæ *vomicæ*, vel *extravasationes* majores humorum, vel *disrupta viscera* nobiliora, vel *consumpta & exarefacta* talia organa, vel *disruptio* majorum *nervosorum* ramorum, vel magnæ & subitaneæ *stases*, stagnationes & *corruptiones*, vel cordis & majorum canalium sanguiferorum obstructiones, cum *polyposis* concrementis, vel *simultaneæ* generosarum partium *compressiones* &c.&c. quales casus passim ex observationibus medicis colligi poterunt, & illi impr. authores conciliandi sunt, qui anatomiis practicis inclaruerunt.

§. XII.

Sed ad metam tandem pertendere ratio jubet! priusquam autem huic tractationi coronidem imponamus nonnullas animadversiones *Practicas*, præsentem meditationem attinentes, subnectere placet: merito itaque quæritur, an illi homines in quibus ex fidis & fundatis rationibus & indiciis *Euthanasia naturalis* speranda & expectanda est, adhuc sollicite *medicamentis* obruendi sint, non obstante illo CICERONIS effato *de Natur. Deor. c.18. ægroto dum anima est, spes esse dicitur*, aut sicut LENTILIUS *in Eteodr. med. pract. p.143.* eloquitur: *dum spirant ægri non omnis omnino spes protinus abjicienda est*: etenim facile peritus Medicus e pristino *frustraneo* oblatorum remediorum effectu judicare potest, quid de sollicito illorum usu circa *horam mortis* promittendum & sperandum sit; quid quod certius evenit, ut propinata talia medicamenta, dum adhuc *viscera*, *humores* & residuum *sensum interdum* afficiunt, facile *novas* in re ita conclamata *turbas* excitare, ideoque *euthanasiam* offendere & *pervertere* queant soleantque; id quod impr. cum fallacibus *experimentis vitæ &*

necis

necis, cum concentratis & generosis *cordialibus* confortantibus, nervinis &c. contingit: quæ si nihil ad rhombum operantur, adsistentibus tædium & molestiam adspergunt, ut exclament, man solle den Sterbenden nicht so fruchtloß aufhalten, noch ihm das Ende schwer machen: rectius itaque conscientiosus medicus in tali statu ab ejusmodi *officiosa* & sollicita ordinatione remediorum *abstinet* & non nisi temperato diluente haustulo aridæ linguæ & languenti laryngi atque pharyngi subvenit: nec ob *fallacem* ac perversum ægrorum appetitum ad medicamentorum ingestionem, quæ antea aversabantur, seduci se patiatur, siquidem de talibus generatim valet, quod LENTILIUS *l. c. p. 396.* significavit: *observant mecum omnes accurati Practici, ægros illos qui ad medicamenta alioqui sunt valde difficiles, cum avide omnia haurire incipiunt, fere pro conclamatis habendos esse:* Deinde quæritur, an *facile* morientes, aut quibus jam articulus mortis imminet, medicus differre, aliquandiu adhuc detinere & auxiliis medicis moram morti appropinquanti conciliare debeat; quam moram & quas inducias *variæ* interdum circumstantiæ *spirituales* & *naturales* postulant, quæ in salutem animæ ægrotorum & in aliud sincerum *commodum* vergere possunt: ad quam quæstionem decidendam exploratis omnibus circumstantiis harumque *ingenuis* respectibus, officium hoc *cordato* medico concedi debet, si *blandis* & *securis* mediis hunc scopum assequi potest, nec *dubiis* ausibus dein evthanasiam in *miseram* convertat mortem: Præterea scire convenit, quod *facile* morientes, facile etiam in articulo mortis turbari, *inquietari*, excitari, *reclamari* & confundi queant: quo pertinet observatio vom

Auffschreyen der Sterbenden, quæ in *ratione* & *practica* annotatione fundata est, si moribundi funestis ac plorabilibus threnis atque lamentis offenduntur, unde ipsis *facilis* & brevis in *difficilem* & retardatam immutatur mortem: ea propter etiam referente KORNMANNO *de mirac. mort. Part. 8. c. 13.* & teste experientia *interdum moribundi difficulter in præsentia cognatorum moriuntur*: quamvis vicissim quæstio atque dubium moveatur, *an mors naturalis medicinæ beneficio retardari* queat, man habe den Sterbenden nur gefristet und aufgehalten: *vid.* VALESIUS *Lib. 6. controv. 1.* CARDANUS *Lib. 2. Controv. tr. 3. com. 9.* PERAMATUS *Lib. de temperam. c. 15. Martin.* PANSA *de prolonganda vita p. 1.* BRAVO *de Medic. dogm. præstantia p. 34. sq.* REJES. *Camp. Elys. juc. qu. 26. n. 2. sq.* Quodsi itaque etiam juxta *naturalem* ordinem *facilis* vitæ terminus immineat; haud sciole *arte* sua medicus illam *turbare*, nec tamen frivole *illicitis* modis magis illam accelerare & *præcipitare* debet; quemadmodum mala talia artificia cum *narcoticis* institui possent: licet de *eventu* tamen medicus *certus* esse *haud* queat, siquidem pro rerum vicissitudine talia *iniqua* artificia *contrariam* plane operationem perficere aliquando possunt & solent: ast cum de *talibus* animadversionibus in dissert. de *Dysthanasia medica* nonnullæ *connexæ* tractationes proferendæ erunt, ita huic labori finem imponimus: DEO T. O. M. authori & protectori vitæ nec non Directori mortis devotas tribuimus gratias pro clementi suo auxilio, quem rogamus, ut concedat adjuvetque omnes juxta Sanctissimam suam voluntatem bene vivere, proinde etiam Euthanasiam Spiritualem & naturalem aut facilem atque exoptatum vitæ assequi.

F I N E M.

NOBI-

NOBILISSIMO ET CLARISSIMO
DN. CANDIDATO

Ἐυ ζῆν precatur.

PRÆSES.

Effatum DAMASCENI *in aphorismis* (cujus VALERIOLA *Lib. IV. enarrat. 6.* reminiscitur est: *oportet te semper ægro salutem promittere, nec unquam a spe illum deponere, & si ipse desperes, complexio enim corporis, affectibus animi semper cohæret:* Eccquis non sermocinationes & promissiones de vita sana, prospera & firma, præ tristi mortis memoria, juxta naturalem æstimationem selegerit & præoptaverit! indies vivere inchoamus, & mori continuamus: myriades existentiarum, quas vita nostra consumimus, sunt indesinens progressus vitæ in mortem & mortis in vitam: hinc in naturalibus vera etiam est meditatio & assertio, qui bene vivit, bene moritur: ea propter LIPSIUS *Cent. miscel. ep. 19.* ait: *hæc ipsa paupertas & mors, mala non sunt, nisi malis & ep. 61. quid ipsa mors, quam timemus? requies, gaudium & vera vita, aut si quid in ea mali, malis tantum:* A Medicis præc. desideratur, ut hominibus longam vitam, & integram sanitatem indicent, adjuvent & confirment; terribilem vicissim mortis imaginem quovis studio extinguant & pro-

pellant. Verum enim vero non modo intereſt Medico idoneas bene vivendi, ſed & congrua bene moriendi ſuggerere conſilia; ſiquidem vita humana naturalis non ſempiterna, ſed finibus circumſcripta eſt: quandoquidem in hoc mundo haud permanens locus eſt, ita in naturali ſphæra & œconomia homines ita vivere debent, ut bene mori queant: perverſa, confuſa, turbulenta, impatiens, immorigera, & impetuoſa vivendi ratio, ſimilem pediſſequam habet mortem. Quemadmodum autem mortis naturalis conditio ſub directorio authoris, conſervatoris & moderatoris vitæ eſt, ita tamen prudens medicus in arte bene moriendi ſtabilienda & rite applicanda ſollicitus & officioſus eſſe debet, ſiquidem ejusmodi media & ſubſidia in ſphæra naturali non omnimode deficiunt, quin aliqua illorum probata & æqua adhibere liceat: Qui naturaliter bene, juſte, ordinate & moderate vivunt, naturaliter etiam bene, leniter & tranquilliter moriuntur: qui moraliter interdum optime vivere gloriantur, illi & naturaliter & ſpiritualiter ſæpe miſere & peſſime moriuntur: Sunt qui mortem malam nuncupant, quia male agentibus vitam tranſegerunt: alii contra judicant, *præſtare in lugubrem ire domum*, *quam in epularem Eccleſ. VII. 2.*: Beati illi *quibus Jehova vita eſt, & ævi longitudo. Devt. XXX. 20.* quibus dein mors nec miſeranda nec terribilis exiſtit: Non infrequentes ſunt caſus, ubi Medici ex officio de morte hominum & brutorum cognoſcere debent; unde non tantum vitæ & ſanitatis, ſed & mortis, quoad varios reſpectus, conſideratio a Medico inſtituenda erit. Inter alias animadver-

ſiones

ſiones, quæ circa mortis cognitionem phyſico-medicam attentæ obſervationi & disquiſitioni ſe commendant, ſeligi meretur ratio bene & facile moriendi: quid quod amor proximi non modo vitam, ſed & articulum mortis, & hujus conſecutiones pro objecto habet; Quamdiu ſecundum vulgarem amicitiam honoribus præditi, laute vivunt alios vino & epulis, commeſſationibus, luſibus, colluſionibus variisque ſecularibus moribus, delectantur, tam diu amicitia, hac mercede conducta, firma eſſe videtur: morte appropinquante ejusmodi larvati & poculis, luſibus, fallaciis, dolis & malitioſis auſibus conducti amici, miſeros deſerunt, aut moleſtis conſolationibus decipiunt, proinde autem animi & corporis medici conſcientiam tranquillare, cœlum ampliſſime aperire, portam ad regnum Gloriæ eximie ſpatioſam, bona opera & bonam voluntatem, quippe merita æternæ ſalutis declarare, aut mortem avertere, longævitatem promittere, vel ſi omnino moriendum eſt, placidam & dulcem mortem procurare debent: Quid itaque de hac EVTHANASIA juxta disquiſitionem phyſico-medicam judicandum ſit, præſenti Inaugurali diſſertatione CLARISSIME DOMINE CANDIDATE commendare & explicare ſuſcepiſti: Poſteaquam enim in Lipſienſi Academia aliquot annis ſedulo conatu Medico ſtudio integroque Curſui operam dediſti, ſubinde etiam egregiæ expeditioni in Hiſtoriæ Naturalis incrementum directæ, ſolenni videlicet peregrinationi in Africæ limites, & mediterranei maris accolas hacque via per varias Regiones, Regna & Provincias exteras comes fidus, ſolers

lers probatisque qualitatibus instructus adfuisti, tandem Symbolum Academicum publicæ commendationis assequi in animum duxisti: Selegisti itaque cum fideli Tuo Conterraneo Fridericianam, in qua Summos Doctorales honores adipisci cogitasti; & dum partim sub tentamine, partim sub consuetis examinibus bonos ordini nostro profectus obtulisti, meum nunc esse officium, æquum judicavi, ut de felici eventu curriculi Academici Tui gratulabundos Tibi obtester applausus: Adspiret cœlesti Suo auxilio & directorio DEUS benignissimus; adaugeat pulchro accremento bonum scientiæ Tuæ in physicis & medicis thesaurum, insuperque reliqua officia medica, sub cura Tua administranda, exoptato beet successu, efficiatque ut singulos honestos atque ingenuos Tuos labores salutaris semper comitetur & prosequatur effectus: Et ita sub divino protectorio non modo bene & conscientiose vita frui, sed & certam de futura Evthanasia spirituali & naturali spem concipere poteris. Vale. Dab. Halæ Magdeburg. III. Kalend. Octobr. A. R. S.

cIↃ IↃ CC XXXV.